1637.

Quæstiones Philosophicæ
Comitijs habitæ
Octob. 2.
1637.

Phantasia matris dat fœtui signaturam.

EST Deus in nobis; quis non tua numina sentit,
Phantase? quo nihilo maxima penè facis!
Vix penetranda tuæ vix ô miracula dextræ;
Cerno manûs ductum, non ego cerno manum.
Somnia nec tantùm curru famulantur inani,
Quæ patriam falsum testificantur ebur.
Mille tui populi: facit hunc prætexta Quiritem,
Glasticutem Pictum barbarus alter agit.
Qui pater Æthiopas, fuscos qui torruit Indos,
Explorat tanto non satis igne suos.
Decolor atratâ pernoctat imagine corpus,
Quale vaporatum fidere Maurus habet.
Pulcher uterq; parens, pulchra est clementia cœli,
Signat at absimilem nubila forma cutem.
Quicquid agunt cœli, color est quicunq; parentũ,
It tener & nascens sub tua jura puer.
Fontibus in doctis speculator Phantasus errat,
Innumeris numeris & sibi crispat aquas.
Indè poëtarum fœtus signantur, & indè
Ilias Emathium sustinet alta caput.

ERGO

Si præsente notâ non sat tibi carmina rident,
Phantasus hoc (dicas) commaculavit opus.

Vitæ terminus est mobilis.

STOïce, prima tui fugimus confinia fati,
Nec juvat in partes ire, Epicure, tuas:
Sub magè felici moderamine vivimus, in quo
Quis poterit vitæ fræna tenere suæ.
Non hîc exiguis incassùm vivitur herbis,
Nec tenuis modico est mensa parata cibo.
Non hîc languenti frustrà Podalirius ægro
Optatam medicæ porrigit artis opem.
Vidi ego sub dubio nictantem lumine flammam
Pallade consumptum restituisse diem:
Vidi & confectum morbo, medicamine sumpto,
Vitæ fatales amplificâsse moras;
Et simul intonsi spernentem munera Phœbi
Extremum subitò præcipitâsse diem.
Quisque suæ faber est *vitæ*; mors sorte laborat
Ancipiti, & dubiâ cogitur ire viâ.
Astra regunt mundum; *sapiens dominabitur astris*,
Coget & imperio fata subesse suo.

ERGO

Stat sua cuique dies extremi *terminus* ævi;
Et tamen est, *stantem* qui *movet* arte diem.

Respondens Mr Watson Caio-Gonvil. } Opponentes { Mr Lincolne Magdal. } Moderator Mr Rant Caio-Gon.

Mr Newman Regalis Prævaricator.